


## Epitaphium Margaretae Jesseniae, Natae Lobedantziae

Kilonii: Litteris Bartholdi Reutheri, [1713?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1728909929>

Druck Freier  Zugang





Small, light-colored rectangular label on the left edge, possibly containing a title or author name, but the text is illegible.

Small, light-colored rectangular label on the left edge, containing handwritten text: "II.", "40", and "00".

enth. 32 Stücke

J 2 II

1899 / 500

-40

EPITAPHIUM  
MARGARETAE IESSENIAE,  
NATAE  
LOBEDANTZIAE.

---

KILONII,  
LITTERIS BARTHOLDI REVTHERI, ACAD. TYPOGR.

ADSTA VIATOR,  
NON TAM SEPVLCRI, QVOD SPECTAS,  
QVAM SEPVLTAE, QVAM NON SPECTAS, SPLENDOR,  
PEDES TVOS ET OCVLOS MORETVR.

HIC SITA EST

**MARGARETA IESSENIA,**

ET NOBILITATE GENERIS,  
ET VIRTVTVM PRAECELLENTIA,  
ET MORVM SANCTITATE  
COMMENDATISSIMA.

FELIX FILIA, SOROR, VXOR ET MATER.

FILIA ERAT

**MATTHIAE LOBEDANTZII,**

S. R. MAI. DAN. ET NORV. QVAESTORIS FLENSBVRG:  
CVIVS SOLVM NOMEN ELOGIVM EST,

ET

**CATHARINAE MARIAE NATAE GVDIAE,**  
DIGNISSIMAE HOC MARITO CONIVGIS; HAC FILIA PARENTIS.

SOROR ERAT

VIRGINIS MAXIME FORMA NOTAE

SOPHIAE AMALIAE,

ET MARGARETAE:

QVARVM HAEC SVB AVSPICIVM VITAE;

ILLA IN FLORE AETATIS OPTIMO,

VTRAQVE OPINIONE CELERIVS FATO CESSERE.

SOROR TERTIA

DEFVNCTAE ET VITA ET MORTE CONIVNCTISSIMA FVIT

ANNA KORTHOLTA.

DICTV DIGNVM EST,

QVOD

SORS VTRIVSQUE COMMVNIS;

MVTVVS AMOR,

SIMILIS ANIMVS,

GERMANA CONCORDIA;

PAR AFFECTVS,

GEMINA PIETAS,

AEQUALIS AETAS,

IDEM DENIQUE MORTIS FVERIT GENVS.

VTRIVSQUE FVNERIS CAVSSAE ERANT PRAEIGNANTES,

VTRAQVE PEPERIT CONIVGI GAVDIA, AT MOX DOLORES,

ET THALAMVM IVNXIT AC TVMVLVM,

VITAEQVE ALIENAE IMPENDIT SVAM.

VTRAMQVE FILIA BEATAM,

ET MOX OBITVS FECIT BEATISSIMAM.

VTRAQVE IN ANIMI DELIQVIO,

IN COMPLEXV MARITI,

QVVM OPTIME VALERE VIDERETVR,

VTRAQVE ANNO AETATIS ALTERO ET VIGESIMO,

VTRAQVE EX IMPROVISO,

QVVM SENSVM MORTIS PRAEVENIENS CELERITAS AVFERRET,

ANIMAM PLACIDE EFFLAVIT.

DESIDERIO SVI RELICTO

VIDVORVM VITAM AEQVATVRO.

QVAN-

QUARTA SOROR, NVNC VNICA SVPERSTES,  
NOBILISSIMA MATRONA  
MARIA CATHARINA SCHEFFERIA,  
PARIENTI PRAESTO FVIT ET PEREVNTI,  
ET VIVAM, SEMIANIMEM ATQVE EXANIMEM  
EODEM VIDIT MOMENTO,  
ET CVM EXSPIRANTE TANTVM NON EXSPIRAVIT.  
PASSAQVE ANIMI DELIQVIVM, DIV EXPERS FVIT VITAE,  
QVO VISO MORTALITATIS DOCUMENTO NVMQVAM VISO,  
MINIMVS FRATER GEORGIVS  
EXTERNATVS ANIMI EXCLAMAVIT:  
EXANIMATA EST ETIAM ALTERA SOROR!  
SOROR ALTERA ETIAM EST EXANIMATA!  
CONIVX DIVINO BENEFICIO ILLI OBTIGIT  
VIR GENEROSVS

## HENNINGVS CHRISTIANVS IESSENIVS,

S. R. M. DAN. AC NORV. CANCELLAR. ASSESSOR,  
EX MARITO FORTVNATISSIMO, ET LAETISSIMO PATRE,  
BIS MISER VIDVVS FACTVS.

CVI EO GRAVIOR HAEC AMISSIO,  
QVO IVCVNDIOR FVIT POSSESSIO,  
QVIQVE CONIVGEM DESIDERAT ACRIVS,  
QVO ILLA CARVIT CELERIVS.

DIE OMNIVM VITAE SVAE FVNESTISSIMO  
XV. KL. OCT. ANNI A NATO CHRISTO CID DCCCXIII.  
AB INITO MATRIMONIO QVINTO.

IGITVR PRO CONIVGE AMAT LVCTVM SE EXANIMATVRVM,  
ET OPTAT MORTE SOCIATA MORI,

ET MAVLT MORTE IVNGI, QVAM DISTRAHI VITA.  
NEC MINVS FILIVS DEMORTVAE PRIMVM NATVS  
MATERNVM NOMEN PERPERAM INCLAMAT.

QVI QVONIAM LOQVENS IMAGO MATRIS,  
VT PRIMVM GENITA EIVSDEM VIVVM EST SIMVLACRVM,  
AMBIGERE POSSIS, VTRVM PATRIS SVI SOLICITVDINES

MAGIS MINVANT, AN AVGEANT,  
VTRVM DESIDERIVM MATRIS,

MAGIS LENIANT, AN ACCENDANT INFANTES.

INPRIMIS VLTIMVM NATA MARGARETA LVCIA,  
QVAE MATRI ERIPVIT VITAM QVAM SIBI DEDIT,  
VIDVVM MARGARETAE SVAE IMMEMOREM ESSE VETAT.  
ET MERITO FLEBILIS MARITO, NATIS ET COGNATIS OCCIDIT;

QVAE OMNIBVS FVIT AMABILIS,  
ET NIHIL IN VITA NISI LAVDANDVM  
AVT FECIT, AVT DIXIT, AVT SENSIT.

QVAS QVIDEM DOTES CAELO DIGNAS,  
NEC AETAS, NEC MORBVS, NEC FORTVNA,  
NEC IPSA MORS CORRVPET.

SED MERVERVNT OMNI AERE PERENNIVS MONVMENTVM,  
QVOD NEC CAELO TANGI,

NEC FLAMMIS ABOLERI,  
NEC HOSTIVM DIRITATE,  
AVT TEMPORVM DIVTVRNITATE  
LABEFACTARI POSSIT.

NEQVE

NEQVE TAMEN IESSENIA  
AB INGENIO FACVNDIAM,  
AVT AB ARTE HONORIS INSIGNE;  
QVIN POTIVS AB AMORE DESIDERIVM,  
ET A DOLORE EXIGIT FLETVS.

QVOCIRCA

EXIGVVM HOC MAGNI AMORIS ET DOLORIS MONVMENTVM  
MAESTISSIMVS POSVIT

**SEBASTIANVS KORTHOLTVS,**

PHIL. MOR. ET POESEOS PROF.

CVI ACERBISSIMI DOLORES

OMNI AQVA CASTALIA,

ET IGNI POETICO

PLANE INTERDIXERE,

EX QVO IDEM CVM VIDVO FATVM EXPERTVS,

NON SOLVM ANNAM CONIVGEM SIBI VITA CARIOREM,

SED ETIAM FLENSVIRGI AVIAM DEFVNCTAE,

ANNAM GVDIAM, MATRIS LOCO SIBI DILECTAM,

KILONII ET IPSAM MATREM SVAM OPTIMAM ANNAM,

ROSTOCHII DENIQVE ANNAM,

LINDEMANNAE SORORIS SVAE FILIAM VNICAM ET NVBILEM,

IDEOQVE TRIBVS ANNIS NONDVM CIRCVMACTIS,

QVATVOR ANNAS AMISIT,

FVNERAQVE FVNERIBVS CVMVLATA

ET LACRIMIS SVIS ET VERSIBVS PROSEQVTVS EST.

ABI VIATOR,

ET HOC NIMIAE FRAGILITATIS HVMANAE EXEMPLO DISCE,

VITAM NOSTRAM E TENVISSIMO FILO,

ET E MOMENTO PENDERE AETERNITATEM.

DISCE, VEL SECVNDISSIMAM FORTVNAM VERERI,

QVVM CERTA MORTIS HORA NIHIL SIT INCERTIVS.

PROINDE TOTA VITA TVA MEDITATIO SIT MORTIS,

VT IN TEMPORE

NON TAM VITAM CVM MORTE,

QVAM MORTEM CVM VITA

COMMVTES.

\* \* \*


33

LBMV Schwerin


000 314 889







NEQVE T  
 AB INGEN  
 AVT AB ART  
 QVIN POTIVS A  
 ET A DOLOR  
 EXIGVVM HOC MAGNI AM  
 MAESTI  
**SEBASTIAN V**  
 PHIL. MOR.  
 CVI ACER  
 OMNI AQ  
 ET IC  
 PLANE I  
 EX QVO IDEM CVM  
 NON SOLVM ANNAM C  
 SED ETIAM FLENSB  
 ANNAM GVDIAM, MA  
 KILONII ET IPSAM MATR  
 ROSFOCHII  
 LINDEMANNAE SORORIS SV  
 IDEOQVE TRIBVS AN  
 QVATVOR  
 FVNERAQVE FV  
 ET LACRIMIS SVIS ET  
 ABI  
 ET HOC NIMIAE FRAGILIT  
 VITAM NOSTRA  
 ET E MOMENTO PE  
 DISCE, VEL SECVNDIS  
 QVVM CERTA MORTIS  
 PROINDE TOTA VITA  
 VT IN  
 NON TAM VI  
 QVAM MO  
 CO



SSENIA  
 NDIAM,  
 IS INSIGNE;  
 DESIDERIVM,  
 T FLETVS.  
 DOLORIS MONVMENTVM  
 OSVIT  
**RTHOLTVS,**  
 EOS PROF.  
 DLORES  
 TALIA,  
 TICO  
 KERE,  
 TVM EXPERTVS,  
 I SIBI VITA CARIOREM,  
 AM DEFVNCTAE,  
 CO SIBI DILECTAM,  
 M OPTIMAM ANNAM,  
 ANNAM,  
 M VNICAM ET NVBILEM,  
 DVM CIRCVMACTIS,  
 AMISIT,  
 CVMVLATA  
 PROSEQVTVS EST.  
 MANAE EXEMPLO DISCE,  
 VISSIMO FILO,  
 AETERNITATEM.  
 ORTVNAM VERERI,  
 HIL SIT INCERTIVS.  
 ITATIO SIT MORTIS,  
 RE  
 M MORTE,  
 VM VITA